



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.6. Varia animi & corporis damna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

tere in gehennam. Quis ille autem? Deus? imò Deus non mittit nisi in cælum, *bonus ex suo, justus ex nostro.* Est ergo, est peccatum causa furoris, & irarum caput. Hic gehennæ pater, hæc origo mali metuenda tibi.

§. 5. *Diaboli servitus.*

Ecce aliud ex illo malum. Nam quia sese Deo subduxit; in nervum, in catenam, in herilem, imò tyrannicam, diaboli servitutem conjectus est. Excessit à latere impuri clientis purissimus patronus; non sustinet teterimum halitum animæ infelicis; ei in locum succedit Rex & Dominus, qui tandem? dæmon certè. O qualem custodem! cui dies noctesque non aliud incumbat, quàm misero gulam aut frangere, si liceat, aut fringendam objicere. Et nos in tanto periculo, tamque vicino mortis, hostis, flammæ perennis, hilares sumus? ad expiatorium sacramentum non confugimus? ô insaniam! Sic in morbo *ridet phreneticus; sed non est sanus.* (*Augustinus.*) sic inter haras exulat à parente *prodigus*, exulat à filio, addictus *uni civium*; nam *aut Dei sumus, aut Diaboli; nihil medium.* [*Idem.*]

§. 6. *Varia animi & corporis damna.*

Quid illi verò in tali solitudine? Quid dico

dico? in tali dæmonum contubernio constituto? Quid fiet, inquam? Quàm multæ undique, quàm graves rerum imagines affluent; quæ spectra per noctem oblata? qui conscientia clamor? qui latratus? Enimvero hîc vermem assiduum, hîc vulturem non fabulosum, hîc furias omnes, hîc orcum invenies, orco pejorem. Gliscit intimè, omnesque penitus animi recessus pervadit inquietus horror: pavet ad omnia malè conscium pectus, contremiscit artubus, exalbescit metu? nec sibi, nec Deo, nec ulli cohaeret. Agunt transversum animi pestes omnes, Intestinum bellum, pugna horrida, cæca tempestas. Talis olim primusque Cainus; tales ab illo impii omnes fuere: *habet enim, habet, nescio, quos mens scelerata carnifices; aut ipsa sibi potius carnifex est.* (Pacatus.) *Vis mittere in infernum? mitte in seipsum.* (Augustinus.)

Quid dicam, quòd nonnunquam in vitam ipsam manat exitium? Luxatur corpus, frangiturque voluptatum immoderatâ libidine. Hinc nefandæ morborum species; hinc visi in ipso flore jam facti senes, labantibus membris, & fœtidis, & effœtis. Triste, sed justum spectaculum.

Præter hæc corporis animique damna ,
 alia è civili consuetudine petuntur. Qualia
 sunt , quòd nemo unquam improbum ho-
 minem verè amavit , si improbum nôrit.
 Multò minùs dignum honore duxit. Est e-
 nim , est honor umbra virtutis. ùt umbra
 suo sine corpore nulla est; ita neque verus
 honor sine virtute: nam *gloria nostra hæc est,
 testimonium conscientia nostra.* (2. Cor. 1.) In-
 gloriùs ergò , intestabilis homo , quisquis
 hoc testimonio caret. *Theatrum* sibi vir bo-
 nus : malus autem ipse sibi supplicium, ipse
 ludibrium. Talis est inter allophylos Sam-
 son; pœna sibi , pila hosti, [*Judic. 16.*]

§. 7. *Bonorum operum inutilitas.*

Sed parva sunt. Perpende hîc mecum ,
 quàm multis spoliatur bonis. Cùm apud
 Deum esset in gratia, inter filios Dei, parti-
 ceps erat omnium timentium Deum. Nihil
 in toto Christiani orbis ambitu præclarè fi-
 ebat precum , orationum, votorum, austeri-
 ratum, sive in claustris; sive in templis; nihil
 erat , inquam , ad cujus meriti sortem non
 accederet. Nunc extorris , vagus , à facie
 Dei, atque à toto fidelium corpore , instar
 putridæ carnis, abscissus, nullam ex operibus
 vel suis, vel alienis , gratiam spémve conci-
 liat.